



LANCELOTTI POLITI
IURIS VTRIVSQ.
DOCT. EXIGVI
DE OFFICIO
ADVOC.
CATL.

Venetis in officina Dni
Bernardini.

M D XXXVI.



LANCLOCTVS POLITVS V. I.

doctor immeritus, Patribus Optimis, &

Aduocatus Consistorialis

Clarissimis. S.

Um Florentiæ nuper renūdatum mihi,
nihil profecto minus q̄ huiusmodi cogi
c tanti, a nonnullis esset: Pontificem Sum
mum inter alios ad hoc muneris longe
quidem aptiores, me quoq; nulla non ra
tione indignum, in Aduocatum Cōsistorialem dele
gisse: Primo illo impetu (vt verum fatear) aliquantu
lum præ lætitia gestiens, animo non nihil commotus
sum. Quis enim temperasset? Tanto dei in terris te
stimonio probatus? Voluntate tam benigna adeo pe
ccillariter exceptus? Verum cum mox ad me rediret/
& durissimam neruis meis prouinciam/ & si non vt
oporteat administraretur/ animę imprimis admodum
periculosam considerarem/ cœpi ea mecū sedulo co
gitare, quæ maxime ad Optimum Patronum consti
tuendum exigere necessario viderentur. Itaq; cum pluri
ma sæpius animo voluerē/ collegi nonnulla/ quæ, vix
pauillo oculi/ a prioribus studiis intercepto/ stilo qua
lisentq; hoc nostro explicata/ mādare literis/ & ad vos
tandem Patres mittere nō dubitavi. Non equidem q̄
nobilitate muneris rem vobis gratam facturū me spe
tarem, nec q̄ officiosa saltē voluntate eo magis beni
uolentiam mihi vestram conciliare, nec quo vos do
cere/ quasi Sus Mineruā, aut admonere præsumerē:
Non enim (ita mihi deus benefaciat) adeo superbus

A ii

sum. Nec postremo q̄ operæ precium me facturum
p̄ceptis istis/ si vestra auctoritate nō iuuarentur/ mihi
persuaderem: Sed vt potius/ cum a forensibus causis
feriat/ in leuora ista diuertere non aspemaremini: Si
quid insipienter elapsum offenderetis/ seuerè illud pro
censura vestra grauisissima corrigere (paterna nihilo-
minus charitate admonentes) dignaremini: Si quid
autem per imprudentiam omissum, pro vbertate sa-
pientiæ/ ac doctrinæ (qua polleris) amplitudine/ sup-
plete non grauatemini: Si quid postremo temere/ ac
superfluo effusum/ pro auctoritate vestra (quam vale-
te in me plurimam/ non solum libenter patior, verū
etiam alacriter præmefero) concidete audacter non
cunctaremini: Si vero nonnulla ibi forsitan non ab re
considerata vestro calculo probarentur/ eo vtigentius
admonerentur alii/ illa obseruare, quæ merito vestra
feceritis (vel sacerrimi Imperatoris nostri testimonio)
quibus omnis quæcunq̄ erit auctoritas ex vobis eman-
auerit. Ego vero satis vel eo ipso admoneor/ q̄ ni-
mis turpe mihi/ nimis miserum atq̄ infelix foret, si
me quispiam veluti tristem Hypocritam non iniu-
ria exectans/ & diuino illo verbo inuens ita alios cō-
monestaret: Quæ ille dixit facite, quemadmodum
autem operatur nolite facete.

LANCELOCTI POLITI DE OFFICIO ADVOCAT'L

P RIMUM quidem respicere ad finem/
Advocatū oportere existimo, cuius gra-
tia/summi dei providentia/ huiusce artis
praesidiū inter homines maxime vigere
voluit. Facile. n. non alium esse intelligerē q̄ ut tenuio-
res a potentioribus defendātur/ ut iniurię a locupletibus
(quibus obesse nō debet invidia) propellantur/ ut
solvant innocētes/ ut noxiū meritis p̄cenis damnētur/
ut suum tandem quisq; iudiciorum equitate ac pote-
state retineat. Etenim cum euenire Turbas veritatis
testimonio sit necesse/ nimirum etiam necessarium
fuit/ ope hominum & quae venete componi/ & ne
veniant quantū potest diligentissime p̄curari. Optat
enim maxime deus q̄q̄ nūm humana omnia tegere/
ac pro arbitrio voluere ipse possit/ nostra potius ope-
ra/atq; cura (quoad bene beateq; agendum inter nos
aninet) hoc ipsum effici. Si quisquas igitur eiusmodi
finem diuina mente consideratum/ praui consilio au-
sus sit peruertere/ non iam Advocati officium, sed pra-
uisissimi omnium hominis exercitum (summo cum
malo suo) quandoq; sentet expleuisse. Cum enim id
muneris q̄ laetissime pateat/ atq; toto terrarum orbe/ ad
populorum gubernationem, praesertim in hac Vrbe/
altaram Regina ac domina/ pro pace ac sa'ute conser-
uanda sit oppido necessarium/ cōcedendum est pro-
culdubio/ si sordide aut ignauiet administretur/ non
nisi summā perniciem loco pacis/ ac pestem loco sa-

A III

107

Lanceloti Polid

Iuris/omni Reipub. allatum. Verum cum lapsa im-
proba consuetudo, quasdam actiones (sua pte natura
summa flagitia) vel quasi parum noxias/vel omnino
tanquam vitio carentes, in oculis humanæ fragilitatis
pletunq; constituar/ satis fecerit vir Christianus, ac
prudens, si recto iudicio Ira secum Intime cõsulta ve-
ritate rem deponet/ vt ne maiorum exemplo peccet/
& velit/ & intelligat/ q̄ cautissime prouidete. Cũ ergo
ille proprie aduocati sit labor/ vt victoriam honestis
mediis patrocinium iure flagitantibus comparet, ac
quatuor ad hoc ipsum principaliter desiderari videã-
tur. Primũ bonitas, Deinde iuris scientia, Tercio pru-
dentiã, Postremo autem eloquentia. De his pro no-
strę captũ considerationis, quæ q̄ exigua sit/ vtinam
ne híc etiam locus indicet, sic censui differendum.

De bonitate quæ aduocato sit necessaria.

Voniam cum bonitatem dicimus/ non eam
exaudimus/ quam strictior verbi significatio
exprimit, quæ videlicet omni penitus pecca-
to careat/ ne solum Deum per illam aut paucos quos-
piam (quos ipse Deus priuilegio specialĩ dilexit) re-
spiciamus. Si enim (vt Flaccus recte) nemo vitis sine
nascitur, optimus ille/ qui minimis vtgetur. Conse-
quens est latiore vt significatione accepta/ bonos illos
hoc in loco definiamus, qui ab omni fraude/ qua con-
tra humanæ societatis iura alterius detrimento pecca-
tur, diligenter abstinuerint. Cum ergo duo sint tem-
pora/ quibus cõtta iustitiæ tendrem ad aduocato pec-
cari possit, Alterum: cum causam suscipit, Alterũ vtro
cum iam susceptam prosequi opponet. Quinq; præci

De officio aduocati.

puer (quoad primum tempus attinet) quæ illâ ab officio detorquere possunt / maxime sunt attendenda vitia, vt omni conatu penitus deuitentur. Quorum primam sibi sedem (veluti hac in re longe potentior) auaritia vindicat. Secundæ superbia dominatur. Tertiam amor (iusto indulgentior) obinet. Quarta occupatur odio. Quintam vero ac postremam / seruillis timor amplectitur.

Quale debeat esse officium aduocati in suscipiendis causis: Et primo de auaritiæ sordibus eiciendis.

Gitur quæ mentes hominum penitus excæcat vere pestilens auaritia / primum omnino ratione vitanda est, ne iniustum patrocinium, quantouis allecti precio cuiquam polliceamur. Sic enim nec tot lites ferme ad immortalitatem aletentur, & ita quietiores Respub. sedatioresq; permanerent. Cum enim ex priuatis discordiis sæpe oriantur & publicæ / quibus plerunq; Seditiones suscitantur / & scandala. Tutius erit profecto diuinam illam comminationem extrimescere, qua cuiq; mortaliū verbo veritatis denunciatur. Vt illi homini, per quæ euenerint scandala. Nec quicquam eo moueri bonos oportere, quo improbi facile persuadentur: Minus scilicet quæstuosam fore hanc artem / si duntaxat quibus adsit iustitia partes suscipiantur. Sic enim & locus innumeris litibus facile præcluderetur, & discretis vitis præmia consequenter angustiora redderentur. Cum vero (vt ille inquit) honos alat artes / quis non videat (inquunt mali) si hunc iustitiæ rigore respexerit.

A iiii

rimus/pauciſſimos fore, qui huic munerſi date operā
 tanto ſtudio/tantis laboribus/ac tot vigiliis intendāt
 eoꝝ fieri propemodum/ars vt ipſa corruat/ac omni-
 no periclitetur. Verum enimvero, qui eiufmodi excu-
 ſatione malitiam obtegere arbitrantur/non alio tan-
 dem deueniunt/ q̄ vt augeri lites/ſoueriꝝq; diſcordias
 cum proximi malo ac damno/proprii ratione cōpen-
 dii cuiꝝ licere, faſꝝq; eſſe contendunt/quo nihil contra
 naturam magis, quāquam etiā nihil illa eſt miſeri-
 cordia importunius/qua, cum artē iſtam interire non
 patiamur/interire nihilominus propriam animę ſalu-
 rem facile permittimus. Quippe/quāuis (vt improbi
 inquirunt) vnde habeas quærat nemo/quæſiturum ta-
 men Deum cum a quolibet rationē totius actæ vitæ
 ſua die reſpoſeet/confiteri chriſtianum hominem ne-
 ceſſe eſt. Cuius iudicium qua malitia & quo conſilio
 quis tandem adeo ſapiens patronus effugiet/qua cau-
 tela eludet/autemorabitur/ Acrius tamen illorū per-
 fidioſa verſutia deteſtanda eſt. Si qui tamen ſunt/qui
 eoſꝝq; prolabuntur, vt ambas partes latenter defen-
 dendas ſuſcipiant/& ſubdoſe patrocinia inuicem con-
 traria polliceantur, Mercede interim tante/tamꝝq; di-
 ficilis induſtrie/hinc & inde impudenter exacta, vt pe-
 nitus vtranzꝝ partem pernicioſe fallant/atꝝq; indigne
 eludant. Ac ſi qui etiam cum aduerſario colluſerint/
 precio hoſtilem iſtam fraudem eſtimantes, nihil pro-
 feſſo impudentius/nihil flagitioſius/aut magis ſince-
 ritati/chriſtianeꝝq; ſimplicitati contrarium. Non tamē
 eſſi cauſam iuſtam omni etiam diligentiā ſuſceperis
 defendendam, excoriandus eſt tibi propterea cliens/a

De officio aduocati!

quo mercedem supra quā deceat (veluti victorię nimium cupido) extorqueas/cum enim ex alieno dispendio compendium nobis comparari naturali æquitati contrarium esse/nedum diuina, verum & humana, ac ciuilla iura testentur;cui dubium esse potest? & contra sanctissimę charitatis fœdera/& contra naturam eum agere/quod exculpere supra quā pro laboribus mereatur honorarium/a/consultoribus studeat? eoque/a/furto differte eiusmodi rapinam/quo ita furto rem alienā ab inuito subtrahimus/vt volentem illum nullo colore persuadere possimus. Ab hoc autem ita extorqueamus/vt quāuis vere ab inuito auferamus/illem tamē superfit color/vt quasi/a/volente id exhiberi videatur. Verum ita nos hic color ante excelsę maiestatis Tribunal excusabit/sicuti rerum substantias mutari colore poterit sapientissimo cuiquā persuaderi. Nec enim latere quempiam debet: non immerito/a/magnis viris ne dicam dubitatum/ saltem quesitum esse/num licite merces aduocato/& qua ratione debeat. Duo autem in ea questione cōsiderant sapientes, quorum distinctione omnis dubitatio facile quiescit. Nam cū scientiam aduocatus/atque operam simul pro cliente exhibeat, non tam quidem operam illam, quam in re presentī exhibere videtur, quam etiam exactos labores/quibus efficacior præsens opera redditur, merito concedi oportet/nō scientię/aut acutiore ingenii gratia, honeste ac licite exigi mercedem posse/sed laborum dūtaxat/impensarumque operarum habita inspectione/ne alioquin in diuinę legis præcepta intempe-
tanda cōmittamus, vt quod gratis acceptum est/non

Lancelotti Polliti

etiam gratis rependamus. Quid enim aliud sensitse
Ulpianum nostrum/illis verbis existimabimus? cum
inquit. Est enim res sanctissima ciuilis sapientia, & que
precio numeratio non sit estimanda/aut dehouestanda.
Nunc cum sapiente videtur nos admonere? ne scientiam,
que bonum/ac donum dei est/ac sancti spiritus/
venditemus. Illud tamen/quod & idem Ulpianus non
insulse probat, non me preterit/multa que haud licite
peterentur/non inhoneste ab his qui vltro offerant
posse accipi. Verum quoniam non certa merces, que
aduocato aut de iure respondenti tribui oporteat/le-
ge vel consuetudine predefinita est: neque item pactioe
plerumque id agi solet. Sciendum est/sicuti non ingra-
ta clientis voluntate statui/ita neque nostrum arbitrio de-
cerni oportere: sed modum ex cause quantitate/ex qua-
litate/ex personis/ex consuetudine/ac loci opportunitate/
adhibendum esse. Quid enim si de minimo sit
controuersia? num honorarium cause valorem super
excedat? Quid si adeo in aperto ius constitutum sit,
vt neque aduocato forsitan opus esset? Quid si perso-
na/quam defendat/miserabilis egestate/aut solitudi-
ne/aut natura/hanc opem suo quasi iure expostuleret
vt pauper/vidua/pupillus/ecclesia, an non gratis ple-
rumque exhibebimus (vt ex precepto interdum tene-
mur) industriam? Itaque charitas ante oculos/ & pietas
preponenda est animo/aut eliminanda semper vere-
pestilens auaritia: culus suauis neque tandem iniustas par-
tes tueri, neque cum defenderimus iustas supra quam hone-
stas patitur/honoraria exigere debemus. Sed iam de
superbia cecitate dicendum est.

De officio aduocati.

De superbia/atq; ambitione fugienda.

Vo magis perdifficile est præclariora/altio-
q; raq; ingenia in sui amorem/ & ita sæpe in ar-
rogantiæ vitium non labescere: eo diligētius
obseruandum est bene litteratis, ne nimio freti acu-
mine/abutantur arte. Quamobrem primo intelligāt
summe perniciosum esse ea duci ambitionis insania/
qua vt ingenium/ac doctrinam ostentemus, æmulo-
rumq; autoritati detrahimus/imodesta scientiæ per-
suasione imbuti/ac insolenter tumentes, nostras om-
ni in re præferri sententias/summa pertinacia parum
ad veritatem respicientes, contendimus. Est enim vi-
dere sæpenumero ita æmulos inuicem in hac arte ali-
quos/ vt in eisdem causis contraria suscipere patroch-
nia non solum vehementer appetant, verumetiam
(quod est turpius) impudenter affectent: iuste autem
an iniuste/nihil pensi habeant: quare nihil incōsultius/
cum iustitia minime respiciatur/ resq; potius inuidia
agatur & iniuria/ q̄ iure & æquitate/ vt tunc maxime
veram laudem sese adeptū quispiam arbitretur cum
sicut optimus medicus/ qui ægroto aliorum iam opi-
nionē incurabili/ medicinam atq; opem attulerit salu-
tatem/ sic ipse causas quasi mortuas/ sua sollertia atq;
astu ad victoriā suscitauerit/atq; erexerit. Hunc enim
insanum vulgus vere sapientem/ vere prudentem ap-
pellat/ q̄ existimat infelicis esse' ingenii/ vulgariq; do-
ctrinæ/ nouisse bonas tantum causas defendere. Il-
lud vero (si quæ malæ sunt contra veritatem substi-
neantur) disciplinæ altioris. Sed non sic sapientissimi
philosophi ex Platonis sententia/ nō sic etiam diuina

Lancelotti Politi

lege eruditi putant/qui scientiam, quæ remota sit/a/iu-
stitia potius calliditatem quã sapientiam esse, definiunt/
itaque istos versutile potius poenas quã sapientiæ laudem
promereri. Age ergo/demus falsitatem vincere te lu-
uante te patrono. Quid nam erit aliud quã improbi de-
monis virtutem (quæ est ipsa falsitas), vincere et hoc
rursus quid aliud quã te non vincere/ sed omnino tua
potius opera atque ope vinci? qui pro illo pugnaveris
qui te per eandem istam victoriam/magno cum malo
tuo (in propria causa certe nimis imprudentem) expu-
gnauerit. Mitto quod ad victoriam comparandam auto-
ritati ac doctrinæ propriæ confidere/plerumque non est
satis: contra quã & si non æque doctus ac disertus pa-
tronus adsistat/non tamen deest veritas, quæ nonnunquam
paruo/ac sæpe nullo hominis patrocinio/apud opti-
mos iudices superare solet. Cum enim ad veritatem
vi sua naturaliter mentes hominum inclinentur/po-
tentiorque sit naturæ vis quã humanæ artis/necesse est ple-
rumque calliditatem tuo non sine vituperio veritatis vio-
lentia expugnaram/propelli. Dixissem nec sine rubore/
ni iam consuetudo illa pessima/omnem pudoris
locum ad improbam impudentiam confirmasset. Ca-
uendum est igitur/ne quis ea ambitionis, ducatur in-
fanta/cæcoque ac dissoluto superbiæ persuasus/falsa glo-
riæ specie deceptus alliciatur/vi iniquas partes luuan-
das ex industria amplectatur.

De importuna in amicos ac necessarios
indulgentia vitanda.

1. Erro loco procurandum esse bonitatis instituta
precipiunt/ut importuna quadam amicitie

De officio aduocati.

aut proximitatis indulgentia/a/tenore iustitię abstra-
hamur, quo amici/aut necessarii cuiusdam gratia/a/se-
mira veritatis deflectamus. Si enim vt est in noto pro-
uerbio amicus Soctates, amicus Plato (soleo autem
ipse semper addere) amicus ego/sed magis amica ve-
ritas/ manifeste patet iustitiam, quę (vt ait Philoso-
phus) semper est cum veritate coniuncta/omni ami-
citię/omni sanguini preferendā esse. Quippe si cum
optimis Christianorū institutis Philosophorū etiam
přcepta in eo p'sentiant/salutis esse genus omne mor-
tis perpeti q̄ mentiri/ plane constare potest, nec pro
amico, nec pro quantavis propinquitate coniuncto
reiciendam veritatem esse/vt contra illam, freti mē-
dacio adsistamus. Itaq; nequaquā desiderabitur in eo
fides/aut pietas, qui & si de summo forsan ageretur
supplicio, amicum/fratrem/parentes/liberos/aut con-
iugem meritę pœnę censuerit dimittendos, potius
q̄ noxios defensione calumniōsa procurauerit de pe-
riculo capitis eximendos. Cum enim/a/plerisq; vel il-
lud ponatur ad quęstionem/num saltem ipsi reo in
periculo constituto/ saluis iustitię finibus/liceat seip-
sum veluti perfugam inde eripere/nulla inita conspi-
ratione/nulla violentia adhibita, sed tantisper felici
quodā nacta/& abs innoxia fugiendi occasione/ quan-
to illud erit certius/licere nemini, importuna (vt no-
stri dicunt) misericordia adducto/luste pereuntibus/
opitulari Cessent igitur iura sanguinis, rumpantur be-
niuolentię fœdera/ dum amor veritatis/ dum tenor
iustitię pręualeat. Neq; enim cum Floriano doctore
illo, sat quidem electū (in casu cuiuspiam suę dispu-

Lancelotti Polit

tationis oratorique forsan declamationi non inepto) facile senserim, qui uxorem defendit/ac premio etiam non indignam existimat/quæ permutatis cum viro vestibus/vt ille muliebri habitu mentitus uxorem/in crepusculo de carceribus recederet/viri loco manens/signa uos custodes elusit. Sed non huius loci est partes de iure disputantis suscipere. Illud mihi satis/ si constet maxime cauendum esse/ ne his amicitiae/ac sanguinis viribus ita plus equo indulgeamus/vt diuina/atq; humana iura despicientes/officiose agere arbitremur. Si quidem (vt etiam recte Cicero) omnibus studiis/atq; officiis, quæ amicis/parentibus/liberis/ac patriæ debeantur/preponenda sint proculdubio officia iustitiæ.

De odio vitando.

I quæcunq; animi perturbatio obscuras mentis tenebras offundit, quibus luce veritatis recedente/sanum præcipitur nobis iudicium/consultæ rationis præsidio diligenter est enitendū, ne excitati odio/ aut simulatibus ducti, iuris ac modestiæ oblitri/ aduersus quospiam/ eo libentius patrocinium exhibeamus. Etenim cum omnis vindicta lege charitatis/ac summi Dei præcepto prohibeatur/ cum dicat: Mihi vindictam/& ego retribuam. Parum profecto ingenuum est, ita indigne/a/ratione deflecti/vt finem/ de quo superius diximus, cur diuinitus hoc artis præsidium emanauerit/ peruertamus. Non enim vt cuiquam noceamus, sed duntaxat vt profimus adiuuentum est. Neque vero quæquam mouere debet, si quando reum ad mortem legibus iubentibus persequimur; hic enim/& vt profimus Reipub. facimus;

De officio aduocati.

enius interest facinorosis hominibus purgari cunctas
res humane societatis hostis seditio ac discordia/
pacem tranquillitatemq; mortalium contra naturam
institutum perturbet: quare res cum sine reorum pœ-
na effici nullo pacto possit/ reos ipsos ita persequi
mur, non quidem ad eum finem/ ut eorum mortem/
aut aliam animaduersionem principaliter procure-
mus: sed ut pacis ocium potius compatemus/ quod
cum esse absq; ipsorum merita pœna omnino ne-
queat/charitatisq; ordine præscriptum sit, statum vol-
uentatis singularium saluti præferendum esse/ cum
horum alterum periculo sit exponendum: profecto
conueniens est/ scelestos potius homines vltori gla-
dio/ iue alteri non indigno supplicio tradere/ q̄ huma-
ne societati tantas admisceri turbas permittere. Itaq;
nullo vnquam casu vltionis gratia, accusationis/ de-
fensionisue prouincia suscipienda est/ & si alioquin
iuste possit/ quãuis enim eo non pecces/ q; iuri/ ac legi
hinc fauendo ab honestate non declines; in illo tamen
excusari non potes/ q; nõ iustitiam, propter iustitiam,
sed propter vindiãtam, sequeris. Amanda autem ac
sequenda iustitia propter seipsam principaliter est, nõ
propter aliud extrinsecus, quod impium/ aut turpe ha-
beatur.

De seruilis timore, ac potentiorum potestate contemnenda.

¶ Ostemus omni q̄stantia enitendũ est/ in quo
flagitiose/ perniciosoq; peccari cõtinue cerni-
mus, ne timore seruili adducti/ quicq; contra veritatẽ/
ac iustitiam defendamus, etiam/ a magnis dominis

Lanceloti Politi

requisiti/quibus nullo pacto parendum est: siquidem magis deo q̄ hominibus seruiendum esse, nemo adeo impius negare auisit: omni ergo principium mandato constantissime veritas preponenda est. Verū quoniam eiusmodi timor plerunq; multos de constantiæ sede delicti/ cum odiosos esse potentibus/ ac Tyrānis proculdubio fortunis nostris/ ac sæpe nobis calamitosum sit. Summa profecto laude digni viri illi erunt, qui Tyrannicam potentiam cōtemnentes, amore virtutis/ Flacci illud de se vere prædicari posse curabunt, qui ait: iustum/ ac tenacem propositi virum: Non cilium ardor parua' iuventium: Non vultus instantis Tyranni: Mente quatit solida neq; auster: & quæ ex eurrunt. At multo certe foliciores/ si in eis iucūda illa Christi sententia verificabitur/ qua beatitudo illis promittitur, qui persecutionem propter iustitiam patiantur. Igitur ita quisq; secum rationē deputet/ qui iram ac potentiam principum perhorrescat/ aut eorū maiestatem revereatur: cum duo sint principes, qui invicem pugnantia præcipiant tutius esse eius herere præcepto/ a/ cuius magis ira ac furore sit metuendū/ & cuius potentia longe præualeat. Cum ergo omnium principum sit princeps deus maximus/ atq; hic veritatem aduersus omnem potestatem custodiri præcipiat, præpostere eum facere/ quicumq; eius iram, quam nemo penitus sustinere poterit contemnens/ hos minutus/ los præ ipso regulos/ atq; eorum odium perimuerit. Recte enim pro hac parte diuina præcepta testantur: Nolite timere qui corpus possunt occidere, sed qui animam potest mittere in gehennam. Hæc sunt quæ
in suscipiendis

De officio aduocati.

In suscipiendis causis obseruate/ne capitaliter in deum peccet/curabit sapiens aduocatus.

¶ Quale debeat esse aduocati officium in causis prosequendis.

Vnc vero quid in causis prosequendis custodire illum oporteat non est admodum difficile præcipere. Cum enim probabilis causæ defensio visa diligenter cõsideranti fuerit/ suscipiẽda est omni studio ac diligentia, nullaq; ex causa quoad poteris relinquenda: cū imprimis amore dei/qui est ipsa iusticia ac veritas, ac per hoc cū veritas ac iusticia defenditur/deus defenditur: cū vero relinquitur/deus relinquitur. Tum vero causa proximi/cui etiam te natum esse nedum Christiana lex/sed Philosophorum quoq; vulgares sententiæ testantur. Adde q; minus licite mercedem accipis/si diligentiam/ac studium tacita quadam pactione debitum non adhibeas. Neq; autem prauissimus illorum abusus probandus est, qui operam ita iuxta mercedem metiuntur/vt si parua ipsis videatur merces, paruam etiam diligentiam aut sepe nullam præstent: quo fieri facile potest/vt contra q̄ deceat/falsitas eorum ex negligentia veritati præualeat. Potius igitur fecerint si initio causæ renunciantes / vel rem integram clienti constituent alios ad eundem/ac consulendi, vel ad solidam dignæ remunerationis satisfactionem impellant. Illud etiã maxime est aduertendum/ne multas eadem suadente cupiditate suscipiens causas/integrum singulis patrocinium præstare nõ valeas. Quis enim nesciat variis occupatũ studiis animũ ita distrabi/vt nõ facile pos-

B

sit omnibus, vt oporteret superesse? Quo fit vt saepe
 dum multis prodesse intendimus/multos (nō sine ex
 stimationis nostrae dispendio) decipiamus/ac laedam
 mus. Cum enim mercede accepta/opera/ac studium
 tuum non iam vltius in tua potestate/sed quā cau
 sa postulet/ei sit obnoxium: qui pretio illud conduxerit:
 exploratio constat/si quid inde demas/uisq; confe
 ras aut aliorum negotiis/quasi alienae rei te furtum fa
 cere/quodammodo vsus ratione. Furtum autē & con
 tra bonos mores/contractq; omnem seu diuinam/seu
 naturalem/seu ciuilem legem esse, nemo prudens nō
 intelligit. Igitur cum in omnibus negotiis ante q̄ ag
 grediare adhibenda sit preparatio diligens/sic post q̄
 sis aggressus/nōlla aut segnicie/aut malitia quicq; est
 pretermittendum, quominus quoad poteris recte per
 ficias. At vero cum nonnunq; eueniat/vt quae partes
 primo aspectu iustae visae sūt/maturiore autem adhi
 bita consideratione/in iuste appareant/ac plerumq;
 uel superba obstinatione proteruentes/uel auaritię
 laqueo alligati presumant homines falsitatem, quae
 primo specie veritatis apparuit/animo obdurato de
 fendere, cum inferni hostis uersutia pudorem ante
 oculos proponat, quo ab opinione decedere constan
 ter detrectant mali, metuentes sibi ab inani potius ho
 minum, q̄ a summi Dei tremendo iudicio „profecto
 maxime ab eiusmodi Superbiae genere (quae impro
 ba dicitur perinacia) cauendum est. Manifestan
 daq; confestim clienti est erroris agnitio, insinuan
 da correctio/apertandaq; excusatio. Siquidem & ratio
 ne/& exemplo perfacile id possis. Ratione quidem

De officio aduocati.

quoniam facillimum est homini/cum in omnibus ar-
tibus/tum/præcipue in hac nostra scientia errare/quæ
hominum uoluntate plerisque casibus est constituta/
queq; tot inuicem contrariis regulis/atq; aduersanti-
bus/opinionibus continetur. Quotus enim quisq; est
qui non in plerisque iuris articulis euidentissimis ratio-
nibus expugnari possit. Exemplo autem/cum non es-
se hoc nouum/etiam apud antiquissimos Iuriscon-
sultos,& eos quidem/quorum sententiæ pro legibus
obseruantur/plerisque locis appareat. Est enim Ulpia-
ni clarissimi Iurisconsulti in tit. de iu. par. Ingenua il-
la proprii erroris confessio/qua non solum nõ minue-
re de existimatione/si ueritate cognita, sponte/a/falsa
opinionem recedamus:uerumetiam maiorem cõpara-
ri nobis sapientiæ laudẽ facile admonemur. Si enim
(ut inquit Plato) initiũ sapientiæ est erroris/ac propriæ
imperitiæ agnitio/iam sequitur, ut nõ solum ille melior-
sed omnino doctior habeatur: qui sua errata non solum
recognoscere/uerumetiam deponere cõsueuerit. Ob-
eã ego causam in omni lucubrationum mearũ editio-
ne publice correctionẽ cuiuslibet & maximopere ro-
gaui:& quidẽ ex animo sum cõtestatus, paratũ me es-
se errores (si qui in hi/a/quopiã ostēderẽtur) ingenuè
ac libenter agnoscere, agereq; illis/qui me/a/mendis
corripuerint/gras immortales. Sic equidẽ fieri uelim,
atq; huius ingenti esse oēs/qui plus ueritati/q; impor-
tunæ uerecundię tribuentes/anteferendam illã rebus
omnibus merito ducerẽt. Illud aut quod & sancti phi-
losophi admonet, hoc in loco caueat Aduocatus/ne
q; malã causam sui clientis agnouerit/recte ob id fa-

Lancelotti Polit

Autū se existimet, si præuicator ad alteras partes fo-
uenda trāsierit/ & quæ ei bona fide sunt credita/ secre-
ta causæ retexens/ perfide illū decipiat/ qui sese in eius
fidem ac patrocinium cō miserat: Potius igitur fecerit
siedē persuaserit/ vel omnino liti cedendum esse/ vel
alioquin fraterna charitate cum aduersario cōponen-
dum. Hæc sunt tandem quæ ad bonitatē Aduocato
necessariā pertinere sum arbitratus. Nunc vero quæ
desideretur scientia consequenter videndum est.

¶ De scientia/ qualis requiratur in Aduocato.

Emoopinor tam stultus non intelligit boni-
tatem solam/ quæ scientiæ non sit coniuncta/
minime Aduocatū cōstituere. Scientia igitur
ea est necessaria/ quæ non solum ciuilia/ verum etiam
pontificia iura complectatur, præsertim in hac Vrbes
qua frequentius de beneficijs/ Pontificū rescriptis/ de
matrimonio/ cæterisque spiritualibus causis agitur. Et cū
quædā pro legibus inuiolabiliter obseruentur/ vt Pa-
trum quas Rotæ decisiones appellant/ & Cancellarię
regulæ: hæc etiā non sunt omittenda/ vt omni studio
quantū fieri potest addiscantur. Sciendum tamen est
cū sciētia/ quæ de libris sumitur/ duas imprimis videat
tur continere vias: Alterā rigoris: Alteram equitatis/ vt
rigor de verbis/ equitas autem de cordis atq; animi
iudicio oriatur. Non illum optimum vnq; Aduocatū
dixerim: qui cum acriter disserere per quasdam nimis
subtiles ambages percalleet, nuda legū verba sequens
equitatem ipsam & veram plerunq; rationem præ-
mittat: Merito dignus/ in quem sapientis verba con-
grue dirigantur/ cū inquit; Qui tātum verba sectatur

De officio aduocati.

nihil habebit: qui autē possessor est mentis/diligite ani-
mam suā. Placuit itaq; mihi semper Ciceroniana illa
laus/qua nescio quē illorum temporum Iureconsul-
tum summe honestate est arbitratus:/cum dixit/illum
esse: qui nunq̄ ius ab equitate separauerit. Si enim (vt
nostri volunt) ius est ars boni & equi, quomodo ergo
secerni iusticia ab æquitate potest? Celsus etiam ado-
lescens/ q; in hanc sententiam concederet/ apud Pau-
lum in tit. de verb. obli. plurimum commendatur/ eo
q; non malos perniciose errate deprehenderit/ qui iu-
ris nimiam subtilitatem sectantes/ quod equū/ quodq;
bonum esset idcirco relinquerent. Illud etiā maxime
vitandum censeo, quo pleriq; decipiuntur: qui certæ
scholę addicti/ ita cuiuspiam autoris doctrinę sese alli-
gant/ & in obligationes (vt Prophetę verbis vtat) ad-
ducunt/ vt nihil rectum/ nihil verum existiment, quod
non ab illo sit comprobatum. Hi enim plerunq; iudi-
cio carent: quorum gratia potissimum fit/ vt veritas
in plerisq; non satis intelligi possit. Nemo igitur aut
Bartholo, aut potius Baldo, vel alteri cuiq; ita sese ad-
dicat/ vt non imprimis momenta rationum conside-
ret/ & q; omni autoritati constantissime præferat. Et
enim perfecta scientia non erit, quæ solido/ ac na-
turali iudicio non sit confirmata ac roborata: in quo
non solum noui, verum etiam antiqui iuris com-
mentatores/ & pænitus omnes, ac sæpenumero abet-
tasse: & recentia/ & veterum monumenta testantur.
Vt non iniuria verba illa Ciceronis in nos relici, sed
multo forsan congruentius possint: cum pro Mure-
uain eius ætatis, Iuriconsultos/ inquit: Nam cum

Lanceloti Politi

per multa præclare legibus essent constituta/ea Iuris-
consultorum ingeniis pleraq; corrupta/ac deprauata
sunt. Et rursus in eisdem: Deinde etiam si quid apud
maiores nostros fuit in isto studio admirationis, id
enonclatis vestris misteris/totum est contemptum,
& abiectum. Sed de his hæcenus. Sciendum enim
est ad huius peritiam artis non sufficere scientiam/il-
lam solam/quæ de libris sumitur, & quam Theori-
cam appellant/si non maxime praxi/atq; exercitatio
neiuuetur. His enim vocabulis non vt philosophi
subtiliores/sed ut vulgus intelligit, vtat. Theoricam
enim illam dicimus/quæ domestica lectione, ac stu-
dio iugl quæsitâ, nudam quandam de uniuerso/& ab
actione remotam intelligentiam præstat. Practicam
vero illam/qua locos ipsos, quos domi adnotaueri-
mus ad propositas ac particulares questiones longa
exercitatione applicare didicimus. Non enim (vt ad
Trebatium Cicero inquit) ex eo qd omnia quæ legeri
mus intellecta/a nobis fuerint/continuo tamen si exer-
citatione non iuuemur/poterimus illa ipsa media qui-
bus sit causæ succurrendum facile adinuenire/ac pro-
ponere. Scientia igitur nostra ita exercitacione perfici-
tur/vt tamen non minus ipsa exercitacio scientiæ con-
iunctiõnem desiderat / vt proculdubio constituend-
um sit/optimum patronum fuisse/aut esse posse ne-
minem/qui non viriusq; præsidio fuerit maxime ad-
iutus. Quare acerrime repræhendendi sunt illi / qui
eam non dicam intelligere, sed nec quidem legete
glosas ipsas/aut etiam textus sciant/huiusmodi tamen
patrocini/ac publicæ procuracionis officium sibi im-

De officio aduocati

pudentissime arrogan: / cum plurima sint / quæ nisi do-
 mestica lectione comprehendatur, sola quidem exer-
 citatione percipi nequeunt / quæ longe monstruosius il-
 lis sit / qui insuper & ad munus iudicandi, cum sint o-
 mnis iuris imperitissimi sese ingerunt. Quippe quæ præ-
 clare cum ea causa agi necesse est / ad quam defenden-
 dam patronus imperitissimus, ad decidendam vero
 iudex insipientissimus concurrerint. Itaque non leue
 scelus ab his patari existimo: qui temere atque indigne
 eiusmodi sibi prouincias ambiunt, nec minus ab illis
 qui apud summos principes pro talibus supplicantes
 promoueri eos ad hæc munera precibus impetrant. Re-
 ctius autem facturos ipsos principes, si illos potius ac-
 certari iubeant / ac præmiis alluci / quos constans ac cele-
 lebris fama / vel opera non illaudata commendat.
 In qua re & animaduerti oportet / ne his propter cla-
 riorē sciētiam, illorum obsit inuidia, qui ut soli quo-
 quomodo excellere videantur / & solido perstantur
 lucro obuetationibus semper lacerant meliores. Hæc
 igitur procurare summus principes cum ad optimū
 Reipublicæ statum pertineat minime negligenter de-
 bet, ne alioquin (ut sepiissime contingit) turpiter ac
 peruerse eueniat mul: os: qui ne quidem idonei di-
 scipuli forent / in magistrorum locum ascēdere, alios
 qui ne quid sit ius unquam didicere, respondere ta-
 men consulentibus de iure, nonnullos / qui nec literis
 nec iudicio valeant / ius tamen, utcumque reddendo
 non tam lites componere / quam excitare. Sed hæc
 quæ inter miracula urbis Romæ per cavillum an-
 numerantur, & quæ summi principes / qui aliora per-

Lanceloti Politi

tractant, animūq; ad multa distractū/atq; occupatum tenent, subtiliori examine non procurant/magis iure reprehendi/q̄ facto corrigi posse. Ergo vnde digressus est iam redeat sermo/ne vel frustra / vel alio sum q̄ veritatis dicendę gratia/introducta hęc/a/me fuisse quispiam peruersus bonę mentis interpret existimet aut obiciat. Quis enim vere poterit inficiari: si exercitatio ad hanc attem maxime est necessaria, si Reip. interest/plures in ea peritos effici/minimo minus decere ad hoc operis/bene alioquin literatis viam præcludit. Sed vt omnia quę superius dicta sunt quantū fieri potest perfecte consequamur, Tria coniunctim necessario exigi facile est intelligere: Sedulum videlicet imprimis/ac iuge studium: Capax deinde/ac peritissima memoria: Rectum postremo iudicium, Illud quidem/quo plurimorum tractatus/atq; opiniones/quę fere innumerabiles sunt, legere Aduocatus nō prætermittat: illa /qua plurima quę legerit / fideliter custodiat: hoc porro / quo eorum quę custodierit / delectu prudenti habito/quod proprius ad rem propositam conueniat / id decernat, & de qua quæritur / aptet ad causam. Hęc sunt quę de iuris scientia facile vt exponerem/occurrere. Nunc iam ergo de Prudentia considerandum est.

¶ De prudentia.

Prudentiã igitur Philosophorū definitione/
P rectã agibilitū rationē esse didicimus, qua in qualibet actione/quasi duce & præuia vt semper debemus. Quę cū in omni re desideretur, In Advocato quidē est non solū ornamento/verū maximo

De officio aduocati.

etiam adiumento. At quoniam aliter/a/Philosopho,
aliter/a/vulgo prudentia accipitur/minime hoc in
loco popularis est interpretatio excludenda. Requiro
enim in Aduocato omnem prudentiam: prius ta-
men illam/quæ semper iustitiæ/atq; aliis virtutibus
est coniuncta: Nam cum id primum toto conemur
studio, vt/a/iudice nobis fides adhibeatut/efficere: id
profecto assequi nulla honestius ratione possumus/
q̄ si ea de nobis constanter apud omnes opinio meri-
to vigeat/ne quando venire in mentem nobis possit/
iniustas partes vlla cupiditate/aut ratione/vlloq; vno
quam tempore esse iuuandas. Sic enim cum nulla
fraudis/aut iniuriæ suspitio incessat/profecto facilius
pro nostra causa iudicis animum alliciemus/atq; iu-
clinabimus/quando ab homine iusto de fraude nun-
quam timendum sit, a/versuto autem/& callido sem-
per cauendum. Hęc igitur vera illa est prudentia, quę
nunq̄/a/iustitia seiungitur: qua potissimum conse-
quens/vt ad te boni(patrocinium flagitantes)certa-
tim accesserint: Quo & tibi/& illis prodesse cum di-
gnitate & honestate/nec tua sine populari laude/atq;
amicitia poteris, si hanc ipsam prudentiã omni tem-
pore consulueris. a/quæ cum perdifficile sit interdum
non declinare/pleraq; tradenda sunt præcepta/eaq;
tanq̄ summe necessaria, inuiolabiliter obseruanda.
Primum igitur cum consuleris/maxime est aduerten-
da quæ præponitur causa/neq; vnq̄ præcipiti defini-
tione respondendum in te quantumuis opinione tua
clarissima. Cum enim in hac scientia/quæ opinio
num multitudine adeo vatiã est/& varietate contin-

Lanceloti Politii

gentium adeo incerta/ut q̄ facillime errari possit. ma-
ture consi derari oportet/petiq̄ ad respondendum tē-
pas/nisi forsan certa, constantiq̄ opinione arbitreris
consulendis partibus non adesse iustitiam. Dimitten-
dus enim abs te confestim est/ne vel in vanam spem
cum coniciens/immerito frustreris/ac simul q̄ sala-
rium accēperis inique defraudes/si causam omnino
reliqueris:vel ne si fœdo, avaritię impulsu suscipere
illā cogaris/aperte contra conscientię stimulum san-
ctissimę iura iustitię lēdas/aut aliquid astu demonis
deceptus/teq̄ ipsum decipiens constringas/quo iniu-
stas partes ad ius redigi/defendiq̄ posse tibi ipsi falso
persuadeas. Quot enim oculos bone deus per auri co-
lorem illum fulgidum maligna humani generis ho-
stis uersuta fascinat/& offuscat? Quot mentes mor-
taliū illudat? Quanto astu in eas paulatim pessimus
ille illabitur? dum aliquot rationes subtili malitia fu-
catus offert/quibus defendi malam causam iure posse
sensim persuadet. Tutius igitur fecerit vit prudens/si
initio cum suspectas consultoris partes habeat/ vitet
periculum, dimittatq̄ illum suo vacuum patrocinio.
Cum vero quæ pteponitur causa/vel manifeste pro-
clien te tuo iusta/vel saltem probabilis uideatur/non
prop terea etiam continuo suscipienda est. Primum
enim prudentiæ erit animaduertere/num tua iuuare
eam possis atq̄ industria. Quid enim si aduersa
riorum potētia factum si/ut peruersa timore/aut cor-
rupta pecunia sint iudicla? an concitare in te potentū
violentas manus ad officium tuum pertinere arb-
traberis? Num diuinæ legis consilio monemur? Non

De officio advocati.

linges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. Excederet igitur hæc provincia Advocati potestatem/ quæ eo (ut dixi) pertinet, ut defendatur veritas: quæ quoniam plerumque potentioris audacia/ atque insolentia opprimitur/ si te tunc (nisi fallor) legum ac sapientiæ voces necesse est: Considerateque nõ modo id oportet/ quod honesta/ iustitiæque cõiuncta defensio sit/ verum ut perficiendi etiam adsit facultas. Deinde nõ nisi prudentiæ ascribetur, si cum ad respondendum tempus petieris/ illud præcipue cutes, ne / quo passim fallimur, quid solum pro parte tua adduci possit / sed quæ convariã adiuvent nullo vestiges diligentius/ ac perquiras, ut nec aliorum interdum iudicium/ ac iudicii rationem tentare pigeat: Dicam eorum etiam/ qui minime iuris periti habeantur. Cum enim naturalis ratio ea sit/ quæ quasi formam nostris legibus affertat, quã animam nostri appellant/ huius autem & iuris Imperii nonnullis casibus facile capaces esse possint, non mirum est/ si ab his etiam rectior sententia interdum emanaverit, quos superflua quædam subtilitas/ ac iuris rigor improbus non fallat. Eo igitur fiet/ ut cum facile quæ oblici possunt, ac prudenter dilueris, & paratior accesseris/ ne te quispiam aduersarius ex improviso comprehendens/ novitate potius/ quàm potestate rationum expugnet: & in veritate tenacius confirmatus/ diligentius atque audacius (salva semper prudentis viri modestia) pro victoria pugnabis. Dilutio enim oblectonum quid nam est aliud (si Philosopho credimus) quàm cognitio veritatis? Veritas porro tibi cognita plurimas suggeret ad sese defendendum vias, quippe cum conso-

Lanceloti Polid

nare omnia veritati, cum testimonio probatorum, tñ
vfu etiam compertum fit. At quoniam non difficilis
locus superest/ si pugnantis inuicem interpretum
opinionibus, quid verius, quid probabilius videatur,
in re admodum dubia aliquo casu cōstituendum sit,
Si & fortassis accidat/ vt contra communem opinio-
nem verior sese offerat ratio / ac sententia, hic profe-
cto prudentia est consulenda; cum iam receptu videa-
tur vtcunq; communiori opinioni adherendam esse
De qua re (quoniam perniciose errari videtur) pro-
prium libellum composui: quem & aliquando edam
in lucem/ vt vel multorum errata detegatur, vel ego
aliquando mea, pro aliorum correctione valeam re-
cognoscere. Paucas tamen positiones ad hunc locum
perdientes/ omnibus (nisi fallor) concedendas, inde
eruat. Prima est per communem opinionem, quæ
contra veritatē sit/ immutari veritatem non posse. Se-
cunda est/ communem opinionem legem nō consti-
tuere: Hæc enim cōmunis est opinio/ vt ex comuni
opinione lex quidē non constituatur: itaq; alioqui ori-
retur perplexitas. Si enim communis opinio legē fa-
ceret/ & ex cōmuni opinione habeamus/ illam/ legem
non facere / tam illud secum dissidens sequeretur qd
communis opinio faceret/ & non faceret legem. Terc-
tia est per consuetudinem/ qua fit vt communis seruetur
opinio/ iūs naturale/ aut rationem naturalem / aut
æquitatem/ aut legem explicite dicentem contrariū/
lædi nō posse. Hoc enim cum etiam ex cōmuni opi-
nionē sit / ne supradicta oriatur perplexitas / omnino
est probandum. Quarta est/ quæ ex præmissis facile

De officio aduocati.

sequitur, posse Aduocatum hisce casibus (communi
spreta opinione) contrarium iure defendere. Verum
quonia id publice quasi pro periurio/ac blasphemia
habetur, perituro huiusmodi periculū tentandum sua
derem/videlicet, cum & causa postularer/& nimis ab
surditas demonstrarerur/& apud doctos Iudices age-
retur lis/& patronus doctrina/ac bonitate summam
sibi autoritates vendicasset. Quid enim si vidua/ aut
pupillus/aut religiosus locus contra communem opi-
nionem/quæ sit falsa/defenderetur? Quid si commu-
nis opinio manifesta ratione/vt plerisq; locis eo ope-
re satis videor demonstrasse, expugnari in promptu
possit? Quid si contra illam nonnullorū etiam auto-
ritas opponatur? Quid si coram dominis Rotæ ver-
tatur decidenda controuersia? quos credibile est adeo
circūspectos/adeo sapientes esse/vt nedum naturę le-
ges/ac iura ciuitatis interpretari recte/verum etiā si sit
necesse/& constituere nouas & veteres (si sit opus) cor-
rigere pro eorum prudentia posse deberent: quorum
sententias pro lege adduci/ac custodiri merito iam vi-
demus. Quid tandem/si patronus optimus/ac sapien-
tissimus causæ vehementer assistat: quem nemo existi-
met/non nisi ratione optima cōtra aliorū moderi sen-
tentiam. Hęc igitur/aut bona istorū pars nō solum ab
omni temeritat's accusatione vindicare Aduocatū/
verum etiā eius probare consilium satis/superq; pos-
sent. Cū igitur ad probandam causam diligentī exa-
mine satis instructus ad Iudicem accesseris/atq; ibi
pro loci cōsuetudine/vel ipse priuatim est persuaden-
dus/vel corā eo cum aduersariis disceptandū de iure

Lancelotti Politi

Prudentius profecto egeris / si mansuete / ac modeste
omnia sine clamore / sine iurgiis / sine conuiciis (sal
uis semper amicitiae / & beniuolentiae finibus) egeris.
Quippe facile illud fieri potest / ut (quoad istas le
gum controuersias pertinet) inuicem aliqui dissenti
ant manente nihilominus fraterna illa charitate / que
lege dei ab homine debetur homini / nam & apud
nostros legitur neminem laedere / qui de iure dispu
ret. Igitur in omni contentione ciuilitate / ac pacato ani
mo agendum est. Cum enim haec sapientia / aut ciui
lis / aut canonica sit / inciuilitate ea pertractare / ac pro
sus sine vlla norma profecto / vel ab ipso verborum
misterio dissonat. Verum cum mansuete inquam / ac mo
deste / non dico frigide / aut subtimide : quippe inter
dum cum causa postulat vocis / contentione maiore /
& acrioribus verbis / atque vrgentioribus uti te non pro
hibeo. Quid enim (ut nonnunquam mihi contigit) si ius
dex per ignorantiam (quos animo supinos conceperit)
recognoscere tandem errores / veritate etiam com
perta detrectet? An tunc / si quae animo quieto protu
leris / dimouere illum nequeant / non grauius non fa
miliarius? non seuerius erit agendum? Quid si per
sordes / aut gratiam inclinare illum in aduersas par
tes (neglectis legibus) intelligas / si alia ratione / a / fla
gitio non retrahatur / an tunc parcendum erit verbis
acerbioribus? Quid tandem / si & is / qui ex aduerso
causam egerit / multa contra te acriter / multa illegiti
me / & contra iuris tenorem / ac regulas / effutiat / non
interdum vel subacite irriseris? vel castigaueris acti
us? vel urbano aliquo sale eluseris? Quis haec repra

De officio aduocati

heritate si parce / si oportune / si etiam præcipue sedata
ira / animiq; perturbatione remora / fiant: Quippe nõ
ab te in forensibus causis agendis / maiores concitari
contentionum voces / q̄ in quavis alia studiosa actio-
ne competimus. Non etiam illud temere compræ-
henderim / si honestis rationibus ad amicitiam cura-
rit patronus / eus reddentes adiungere. Quippe eorum
animum quasi violentè vi sola rationis velle sem-
per attrahere, nimis admodum seuerum est / cum &
blanditiis aucupari eorum sententiam si sit opus in
loco non sit culpabile / & liberali / facetiq; sermone /
honestiq; officiis eius gratiam promereri studere / nõ
sit malitiæ ascribendum. Esse etiam alias multas ad
hanc rem artes: quibus nexuos / ac motus ius dicentis
facile in tuam sententiam deflexeris / haud quidem
negauerim: quas ego veluti parum exercitatione edo-
ctus / fortasse non satis teneo: neq; tamen / quæ præter
tim captentur ex tempore / in certas regulas tradi pos-
sunt / vt etiam ipse profecto de re nesciam / an ad eas
cõsequendas omnino ineptus sim futurus. Sũt enim
hæ acuti / atq; vrbanis ingenti grauose, diuinoq; datæ
munere proprietates. Qua de re prudenter quidem
considerare datur, est pluribus: Considerate vero / ac
prudenter agere, multo certè paucioribus. Illud ergo
propriæ hoc in loco erit prudentiæ, non solum cogi-
tare prudenter, sed etiam prudenter peragere. Hęc ha-
bui / quæ de Prudentia (quatenus Aduocato sit neces-
saria) dicerem. Nunc igitur de Eloquentia postrema
parte dicendum est.

Lancelotti Politi
De Eloquentia, quæ Aduocato
sit necessaria.

DE eloquentia autem quam in patrono optimo de
siderio differenti mihi illud imprimis, vel cla-
ra protestatione denūciandum necessario duxi/ne me
quispiam existimet Ciceronis eloquentiam/aut eam,
quam ipse Cicero diuinis suis præceptis tradit/requite-
re, quin potius illud imprimis cauendum esse arbitra-
ri, ne quasi Celsus antipater/de quo pomp. noster in-
tit. de orig. iu. inculari possit/et plus eloquentiæ/q̄ sa-
pientiæ iuris operæ dederit. Eam igitur eloquentiam
exigo/vt si quando in sacrosancto senatu dicenda sit cau-
sa/aut aliquid proponendū, nō sit cuipiā necesse men-
dicatā/& ab alio compositā orationunculā afferre: Quo
fiat vt (qm̄ memoria longe facilius propria q̄ aliena
custodit: lingua vero multo aptius ea explicat) vel
obliuione correpti (vt magnis in nostris literis vi-
ris contigit) turpiter obmutescamus/vel inepte/ac ru-
diter explicando, & plerūq̄ barbare/ministerium vō-
cis dūtaxat in ea re exhibuisse manifesto declaremus.
Insuper talem exigo eloquentiæ peritiā/vt ea quæ di-
cenda sunt, apte si non ornate, distincte/si non copio-
se, caste ac simpliciter/si nō floride & luculēter, latine
saltem si non eleganter exponantur. Cum enim illa
nunc ætas sit/qua, latinæ literæ quasi in pristinam di-
gnitatē restitutæ iam videātur in tāto eruditissimorū
viorū confessu insulse loqui/implicite/ac barbare:&
ita plurimorū aures offendere/& præserim sūmi pon-
tificis cuius hodie esse castigatissimas nemo non no-
uit. Nimis profecto turpe/nimis indignū est. Cū ve-

ro in

De officio aduocati.

ro in forum tuendi iuris causa processeris/ac vel iudex
priuatum est ad eundem/vel coram eo legitima cōten-
tio suborienda/si nefas videtur (vt Gaius noster inqt)
sine vlla p̄fatione cōtinuo rem ipsam aggredi/atq̄
exponere/non nisi opere precium feceris/si pro tēpo-
ris & causę qualitate/pro loci consuetudine aliquid ad
beniuolentiam captandam exordiolum ex tempore
etiā contexere non ignoraueris/ quo & te ipsum/ &
causam apud iudicem facias cōmēdatiorem/idq̄ (vt
dixi) seruandum pro loci consuetudine pro temporis
& causę qualitate. Adde & pro iudicentis persona.
Sunt enim interdum nonnulli apud quos (cum ipsi
sint ineptissimi) aliqua eloquentię species gratiā per-
dat/necq̄ fieri posse arbitrētur legum sapientiam cum
aliqua vi eloquentię coniungi. Itaq̄ tunc erit eloquēs
aduocatus/si cum balbis interdum/ac de industria/ &
balbe loqui didicerit. Huiusmodi enim hominum ge-
nera plerunq̄ ea insita est opinio/ vt quo incultiores/
rudioresq̄ sermone simus, tanto simus doctiores. No-
ui ego profecto/ nisi penitus iudicio fallor/ quāplures
noui/ qui cum lingua tardi/ minusq̄ ad exprimēdam
conceptus animi sint idonei, nec minus hēbetes inge-
nio/ cum penitus nihil recti sentiant/ac plerunq̄ quę
blatterant non satis percipiuntur: apud rudes tamē vul-
gus eo magis probantur/ eoq̄ ipso q̄ non intelligun-
tur altiora quędam/ & magis abstrusa sapientię secre-
ta custodire illos creduntur in pectore: quod non sine
animi multa indignatione possum meminisse/ non
q̄ ego nō me etiā ad dicendum ineptissimū agnos-
scam, sed q̄ non propterea adeo imperite sentio vt

C

Lancelotti Polit

sordide/obscure/ & inculte loqui/ signum esse sapien-
 rię possim vnquam cōcedere. Rursus igitur ne in me
 iuste reprehensionis causam vllam prębeā/clare pro-
 testatum/ac prędictum volo/eloquentię definitionē/
 non ad Rethorum disciplinam/sed ad vulgi opinio-
 nem me referte. Non enim hac tempestate veterum
 Romanorum more aguntur cause/vt ea quę de Ora-
 tore ab ipsis tradita/ aut obseruata sunt/ desiderentur.
 Neque quidem morem illum/si quis me consultat/li-
 benter/aut facile probauerim/quo potius contentione
 orationis, & fucato illo genere dicēdi/quo veritas ple-
 runq; contegitur/ q̄ rationis soliditate/ & veritatis pote-
 state modus controuersis constituebatur. Vnde sepius
 contingebat/vt non qui verius, sed qui elegantius: nō
 qui subtilius, sed qui ornatus: nec tandem/ qui animū
 ratione deuincire, sed qui aures oratione demulcere
 posset/ ille victoria potiretur. Hoc oculorum, ac totius
 vultus/ decori motus, unde dignitas/ ac uenustas dicē-
 tis respicere. Hoc uocis, ac soni opportuna uarietas/
 unde in aures audientium iucunda dulcedo illabere-
 tur. Hoc uerborū solers delectus/ unde structura plau-
 sibilis/ & cōmendabilis exoriretur/ & id genus alia effi-
 ciebant/ quę meta pręstigia, merę erant imposturę.
 Nunc aduocatum sobrie dicentem requiro/ in affecta-
 to sermone/ neq; composita facie de industria/ ut gra-
 tior appareat, sed ut naturaliter sese habuerit loquen-
 tem/ desidero. Non tamen illud excusauerim/ si prauo
 more confirmatus/ gestu/ ac motu corporis ingratis-
 so/ atq; immodesto fastidium creare possit: si forsan
 nimis foede ora detorqueat/ si nimis temere manus

etiam ac digi-
 tudeore iacti-
 clammem prę-
 ma. At quoni-
 pitate uolunt
 si indaganda
 p faciant facis.
 ut qui reuerti
 hinc. Et com-
 tatore. Itude a
 uisui relinque
 uerpa: recto
 uerpa: est im-
 op plus lute va
 quos: vi. v. et
 pondus. Ergo
 p. p. et ac. n.
 tencia est. Ver-
 quidi genere
 uerit, pruderi-
 uerit: ut super
 p. et. Verum
 uidi forme lo-
 uerit: quia
 uerit. Burhol-
 de Caucis inf-
 uerit: ut in alle-
 uerit: ut. Sic
 uerit: ut quia
 uerit: ut.

De officio aduocati

effetat/ac digitos importune erigat/si totum corpus indecore iactet/ac se aliter moueat/ vt potius gesticulantem presentes, irideant/q̄ audiant patrociantem. At quoniam allegationum modus/quo hac tempestate vrimur/ plerunq; ad ostentationem potius/ q̄ ad indagandam veritatem proficit/ cui plerunq; pauca faciunt satis/parum illi cōmendandi mihi videntur/ qui rerum/autoritatumq; copia/ & obruere aduersarium/ & comparare sibi doctrinę laudem ista ostentatione studeāt: atq; ita fiat/ vt & multiciens indiscussis articulis relinquantur/ & quid verum, quid falsum sit/ nequeat recto iudicio secerni. Quare detestanda sumopere est imperitorum illa opinio, qua arbitrantur/ eo plus iure valuisse quempiam, quo plura fuerit eloquutus/ vt verborum numerus hodie potius ematur/ q̄ pondus. Ergo in agendis causis nō tam multitudo/ q̄ potestas/ac vis rationum, & producenda, & attendenda est. Verum quoniam non in tua est manu/ quo agendi genere/atq; allegandi modo aduersarius tuos viatur, prudentem iudicem hoc sibi curę decet assumere/ vt superfluo obloquentem pro autoritate compescat. Verum quoniam multi adeo sunt imperiti/ vt nihil ferme solidi iudicii habeant/ & doctrinę parum/ vt nonnunquā debilionibus fundamentis moueri soleant. Bartholomeus quidem Cepolla/ in libro, quem de Cautelis inscripsit/ hoc loco aduocatos monere vult/ vt in allegando/ & vera falsis/ & utilia inutilibus misceant. Sic enim fiet (Inquit) vt sæpe victoriam ex nequa aliqua ratione/ quę imperio iudici fortius peradeat/ consequaris. Sed ablu/ vt hoc consilii sequen-

C II

Lancelo di Positi

dum existimem/cum & alia multa eo libro adnotauerim : quæ non solum non digna vt legentur : verum, aut tanq̄ heresim sapientia, igne vindice absumenda/ aut certe tanq̄ occasionem capitaliter peccandi exhibitia/ penitus repudianda. Sed hæc propediem (si dabit deus) perspicuo ostendam, quod vel ipso titubidem autor quasi videtur innuere/que fuisse illum se licet iura : quibus iuri aduersari posset. Hoc enim aduocatorum impiorum cautela dicitur. Quærūt enim sapientia sua iustitiæ iustitiam/& ius iuri/& veritatem veritati/& bonum bono/& æquum æquo/ & denique deum sibi ipsi deo aduersantem. Illudq; tandem efficiunt/vt hæc ipsa/que secum dissidere villo modo possunt, propriæ cum salutis dispēdio in suam perniciem prouocent. Tria igitur sint/quæ hanc quam desidero eloquentiam perpetuo comitentur: Vita imprimis cōtinentissime acta/& ab omni sorde aliena. Deinde rei veritas/ quæ adiuuari mendacio non patitur. Postremo sobrietas orationis, quæ non tam aures elegantia verborum demulcere/q̄ mentem soliditate rationis commouere valeat.

Habetis Patres clarissimi pauca hæc de Aduocati officio præcepta: quæ si quis non ignauiter obserauerit/ hoc est (vt fere omnia paucis colligam) si iustas partes defendendas suscipere candidè procurauerit: si diligentiam/ atq; omnem apparatus ad hoc ipsum sedulo adhibuerit: si vel mediocriter iuris vtriusque scientia fuerit eruditus: si prudenter/& cōsulto causam egerit: si tandem non omnino ineloquens/ aut balbus extiterit/certam sibi proculdubio (vt arbitror) victor

te. circue
licium (t
nim nobis
pian Nan
tatis ad r
uile d'mine

Venerii
Sta